



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

122. Sacrosancta Redemptionis &c. Constitutio super forma regiminis
Sanctæ Domus, & Civitatis Lauretanæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie, vel alias quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

D. 4. Aug.
1698. P.
A. 8.

§. 9. Volumus autem, ut eorumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ; Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Augusti 1698. Pontificatus Nostri Anno VIII.

J. F. Card. Albanus.

Publicatio

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU CHRISTI millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione sexta, die vero nona Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papa XII. Anno octavo; Supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Jo. Lateranensis, Principis Apostolorum, Curia Innocentiana, Cancellaria Apostolica, & in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Sebastianum Vasellum ejusdem SS. Domini Nostri Papæ Cursorem.

Joseph Staggius Mag. Curs.

CXXII.

Constitutio super forma regiminis Sanctæ Domus, & Civitatis Lauretanæ.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Sacrosancta Redemptionis humanæ Mysteria, quibus & Christianæ religionis primordium, & universæ per Orbem Ecclesiæ dignitas, & ipsa Romani Pontificis Christi Vicarii Apostolica celsitudo consurgit, quemadmodum ad intimum doloris sensum ex Sanctorum locorum, in quibus ea Dominus noster operari dignatus est, sub infidelium tyrannide gementium consideratione Nos provocant; jamdiu enim est, quod venerunt Gentes in hæreditatem Domini, polluerunt templum sanctum ejus, & posuerunt Civitatem sanctam Jerusalem in opprobrium, & direptionem: ita ad sacra ejusdem Redemptionis Nostre monumenta, quæ Divina largiente gratia, sub Christianorum potestate, ac potissimum sub temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditione reperiuntur, eò studiosius custodienda, atque impensius veneranda Pontificiam Nostram sollicitudinem excitant, & impellunt. Sanè cum Sacrum illud Cubiculum, seu Sanctam Domum Lauretanam nuncupatam, ubi primum gloriosissima Dei Genitrix, ac semper Virgo Maria, quasi aurora confurgens præclara Nativitate sua gaudium annuntiavit universo Mundo, ac ubi Unigenitum Dei Filium Sancti Spiritus obum-

bratione concepit, insigni miraculo, ac Angelorum ministerio ad Piceni Nostri Provinciam transportatum universus Christianus Orbis veluti primum tabernaculum Dei cum hominibus jam à pluribus seculis veneretur in terris, & Omnipotens de Cœlis Deus assiduâ miraculorum frequentia illustrare non cesser; Nos erga in tam Sacrosanctam Domum mentis Nostre aciem simul, & cordis affectum convertentes in eam libentissimè curam incumbimus, ut, remotis iis, quæ dissidia & offensiones parere quoque modo possent, felici prosperoque præfatæ Sanctæ Domus, & Lauretanæ Nostre, quæ velut in atris ejusdem Domus Domini posita est, Civitatis regimini, Romanorum etiam Pontificum Prædecessorum Nostrorum alias desuper editis Constitutionibus, ubi opus fuerit, reformatis, & immutatis, Apostolicâ providentiâ consulamus.

Privilegia Domui Lauretanæ à Prædecessoribus concessa.

§. 1. Alias siquidem plures Romani Pontifices Prædecessores Nostri ob eximium religionis ædum, atque in Deiparam Virginem devotionis affectum quamplurimis eandem Sanctam Domum privilegiis, indultis, gratiis, & prærogativis condecorarunt, & signanter fel. rec. Clemens Papa VII. Prædecessor Noster inter cætera Castrum Lauretanum, ejusque habitatores cum omnibus juri- bus, & pertinentiis suis curæ, gubernio, administrationi, & regimini cum mero, & mixto imperio, & gladii potestate, Commillariis, seu Protectoris dictæ Sanctæ Domus submisit, & demandavit; ac novissimè rec. me. Paulus Papa V. etiam Prædecessor Noster volens diversis litibus, & contentio- nibus, quæ inter Episcopum Lauretanum, & Protectorem præfatæ Domus exortæ fuerant, & oriri possent in posterum, obviare; urque eadem Sancta Domus Lauretana, ejusque Officiales, & Ministri quicunque, nec non Bona, res, & jura ad eam pertinentia melius, & facilius gubernaren- tur, eidem Sanctæ Domui, seu pavementum tam ejusdem Sancti Cubiculi, seu Sanctæ Cappellæ, quam circumcirca usque ad columnas, & scalas inclu- sive contentum, in Territorium proprium, distinctumque, & separatum nullius Diocesis, in quo de cætero solus ejusdem Sanctæ Domus Protec- tor pro tempore existens, ejusque Gubernator privative quoad Episcopum Lauretanum, etiam si Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis existeret, juris- dictionem omnimodam, & quasi Episcopalem habere & exercere possit, perpetuò constituit & assignavit; ipsamque Domum, seu Cappellam magnam, & parvam nuncupatam, ac pavimen- tum, & Territorium prædictum, ejusque Gubernatorem, Officiales, Ministros, & quoscunque alios tam Laicos, quam Clericos, & Regulares ei- dem Sanctæ Domui, seu Cappellæ, ejusque Bonis quomodolibet inservientes, nec non eorumdem Officialium, Ministrorum, aliorumque inservien- tium familias, servitores, & famulos, & quos- cunque cujusvis generis, conditionis, & præemi- nentiæ Peregrinos ad eandem Sanctam Cappellam, seu Ecclesiam Lauretanam confluentes, nec non ejusdem Sanctæ Domus palatia, ædificia, posses- siones, & prædia quæcunque, & reliqua Bona tam stabilia, quam mobilia, & se moventia ubi- cunque existentia, supellectilia etiam pretiosa, pecunias, elemosynas, donationes, & quæ- cunque relicta ab omni, & quacunque Episco- pi Lauretani superioritate, & jurisdictione, do- minio, ac potestate perpetuò, plenissimè, penitus, & omninò exemit & liberavit, ac sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ protec- tione speciali suscepit; omnimodamque juris- dictionem Ecclesiasticam, & spiritualem, & quasi Episcopalem in præfatam Sanctam Do- mum, ejusque Territorium, Ministros, Of- ficiales, aliosque inservientes, ac Peregrinos, resque, Bona, ac jura prædicta eidem pro tempore Protectori subiecit, & adjudicavit, variis eidem Protectori tam circa Vicarii Curati

deputa-

deputationem, quàm circa dimissorialium Litterarum concessionem, aliaque quamplurima, privilegiis, & facultatibus attributis, prout in præfatorum Clementis in forma Brevis sub die decima tertia Januarii millesimo quingentesimo vigesimo quarto, Pontificatus sui anno primo, & Pauli Prædecessorum sub plumbo anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo pridie Idus Julii, Pontificatus sui anno decimo sexto respectivè expeditis Litteris uberius continetur.

§. 2. Nos verò providè considerantes, ex huiusmodi forma regiminis non eam, quæ sperabatur, utilitatem provenisse; quin potius experientia, & quamplurimum ad Apostolatum Nostrum perlatis querelis, atque recursum certiores effecti, imminuta nimis Episcopi potestate, disciplinam Ecclesiasticam paulatim dissolvi, necnon Cleri, populique mores, aucta exemptionum multitudine, relaxari, non sine frequentibus Prælatorum, ac Subditorum perturbationibus, itaut quod aliàs in præfata Sanctæ Cappellæ decus, & commodum ab iisdem Clemente, & Paulo Prædecessoribus salubriter constitutum fuerat, jam temporum varietate, ac fortasse hominum malitia in ejusdem noscatur vergere detrimentum, habitâ super his cum nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Dilectis Filiis Romanæ Curie Prælati deliberatione matura, præfatas Prædecessorum Litteras, earum tenores etiam veriores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione ad formam & terminos infra exprimendos moderamus, reducimus, restringimus, & immutamus.

§. 3. Ac primò quidem cupientes præfatæ Sanctæ Cappellæ, seu Domui, ubi Verbum caro factum est, præeminentiam omnem, decus, & honorificentiam conservari, nec ulla ex parte immitti, quin potius uberioribus gratiis, & privilegiis amplificari; diligimus enim decorem domus Dei, & quam maximam possumus gloriam Nomini ejus asserre satagimus in Aula sancta ejus; eidem Sanctæ Domui Territorium proprium, ac separatim, atque ab omni Ordinarii jurisdictione exemptum, & quasi Episcopale in præfatis Pauli Papæ V. Prædecessoris Nostris Litteris assignatum tenore præsentium confirmamus, & approbamus, idemque Territorium unâ cum omnibus præfatæ Sanctæ Domus Ministris, & Officialibus, aliisque personis ei quomodolibet inservientibus, vel ad eam ex qualibet Mundi parte devotionis gratiâ confluentibus, ejusque Bonis quibuscunque ubilibet existentibus, ad formam præfatarum Pauli Prædecessoris Litterarum, ab omni, & quacunque Ordinarii jurisdictione; iterum ac plenissimè, & penitus eximentes, præfato Protectoris, quod per obitum bon. mem. Palutii, dum vixit, Episcopi Portuensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Alteriis nuncupati, de præfata vacat, Officio, dignitate, titulo, ac denominatione perpetuò suppressis, ac prorsus de medio sublati, sub Beati Petri, nostraque, & Sedis Apostolicæ speciali, & immediata protectione suscipimus.

§. 4. Omnem verò, & quancunque jurisdictionem tam Ecclesiasticam, & spiritualem, ac quasi Episcopalem, quæ in eandem Sanctam Domum, ejusque Territorium, Officiales, Ministros, Peregrinos, ac Bona prædicta, quàm Secularem, sive laicalem in Communitatem, nomines, & Civitatem Nostram Lauretanam, ejusque Comitatum, atque districtum, ut supra, Protectori pro tempore Sanctæ Domus ejusdem, sive ex præfatis Clementis, ac Pauli, sive aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, indultis, privilegiis, aut aliis quomodolibet competeat, quandoquidem ei Romani Pontifices per seipsos, Apostolicæ ser-

vitutis curis, & omnium Ecclesiarum sollicitudine prægravati, vacare non possunt, exerceri in posterum statuimus, & mandamus per Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Dilectorum Filiorum Romanæ Curie Prælatorum, Lauretanam nuncupandam, quam ad hunc effectum tenere præsentium erigimus, instituimus, & specialiter deputamus.

§. 5. Eidemque Congregationi, ut semel & pluries, & quoties sibi videbitur & placebit, quæcunque statuta, & ordinationes pro felici prædictæ Sanctæ Domus, ejusque Bonorum, ac personarum eidem inservientium regimine, sacris tamen Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non adversantia, & signanter quoad numerum Ministrorum, & Officialium ejusdem Sanctæ Domus privilegiis, & exemptionibus gaudendum, quem per eandem Congregationem omnino reformari, & ad solos necessarios restringi volumus, ab omnibus, ad quos pertinet inviolabiliter observanda condere, edere, & publicare, illaque mutare, alterare, corrigere, & emendare, prout in Domino salubriter expedire cognoverit, concedimus, & indulgemus.

§. 6. Quò verò præfatarum Sanctæ Domus, & Civitatis regimen, melius, distinctius, omnique, quantum fieri potest, litium & contentionum remoto periculo administraretur, omniaque honestè, & secundum ordinem fiant, volumus, & mandamus, ut Congregatio præfata, in Spiritualibus quidem, quæ scilicet ad Ecclesiæ cultum, Chori servitium, Divinorum celebrationem, Animarum curam, Sacramentorum administrationem, morum correctionem, aliaque huiusmodi pertinent, Episcopi Lauretani pro tempore existentis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, in iis verò, quæ quorumcunque Bonorum ejusdem Sanctæ Cappellæ temporalem administrationem, necnon dictæ Civitatis Lauretanæ, ejusque Comitatus, atque districtus tam in Causis civilibus, quàm criminalibus, seu mixtis gubernium seculare concernunt, Romanæ Curie Prælati, in Gubernatorem à nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice deputandi, opera, & ministerio uti debeat. Ac propterea tam domorum, ædificiorumque omnium fabricam, & manutentionem, quàm suppellectilium cujuscunque generis, paramentorum, gemmarum, aliorumque localium, quæ sub thesauri nomine nuncupantur, necnon elemosynarum, & largitionum quarumlibet custodiam, atque etiam Montis Pietatis, nosocomii, hospitii, & triclinii pro pauperibus peregrinis superintendentiam Gubernatoris præfati curæ committenda esse; ministros verò supradictis locis, rebusque inservientes, si Clerici fuerint, in concertibus dumtaxat eorum ministerium Gubernatori præfato, in reliquis autem Episcopo Lauretano tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, Organistam demum, Cantoresque quoscunque ejusdem Sanctæ Domus, quoad correctionem morum, Ecclesiæque servitium Episcopo, in cæteris Gubernatori subesse debere decernimus, & declaramus.

§. 7. Quoniam verò nonnullæ Ecclesiæ, seu Beneficia, etiam curata, præfata Sanctæ Domui, seu cappellæ unita, annexa, vel ab ea dependentia non in Lauretana solum, sed in quampluribus etiam aliis Diocesisbus reperiuntur; ut earundem Ecclesiarum, Beneficiorumque bono regimini, recteque administrationi consultum sit, easdem Ecclesias, earumque Rectores, aliosque Ministros quoscunque Episcoporum, aliorumque Ordinariorum, in quorum respectivè Diocesisbus sita sunt, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatorum jurisdictioni, visitationi, & correctioni, sub Congregationis tamen, ut supra, à nobis erectæ, regimine & omnimoda dependentia, subesse volumus, & mandamus; idemque prorsus quoad omnes, & singulos Colonos, sive Officiales ejusdem Sanctæ

Facultas
condendi
statuta &
ordinationes.

Dicta Congregatio
in Spiritualibus
Episcopi
Lauretani,
in temporalibus
Prælati
Curie Romanæ
operâ uti
debet.

Ecclesiæ
à prædicta
domo dependentes
suarum respectivè
Diocesis
Ordinarius
subjiciuntur.

Instruitur
forma regiminis.

Territorii
confirmatio.
ab Ordinarii
jurisdictione
exemptio
& sub immediata
Sedis Apostolicæ
protectionem
susceptio.

Protectoris
alias in
eam jurisdictionem
noyter erectæ
Congregationi
Lauretane
confertur.

Reservatio
Beneficio-
rum ad
Collatio-
nem Pro-
tectoris
alias perti-
nentium.

Contro-
versie cir-
ca præmis-
sa à Con-
gregatio-
ne præfata
decidende

Decretum
super ob-
stativis,
cum clau-
sula subla-
ta.

Derogatio
contrariis.

Domus extrâ Diocesim Lauretanam ubilibet ex-
istentes, ad debitum tamen numerum, ut supra
reducendos, servari statuimus.

§. 8. Beneficia autem prædicta, & alia quacun-
que cum cura, & sine cura, Secularia, & quorum-
vis Ordinum Regularia, qualitercunque qualifica-
ta, & ubicunque existentia, quæ ad collationem,
provisionem, præsentationem, electionem, &
quamvis aliam dispositionem præfatæ Sanctæ Do-
mus pro tempore Protectoris quomodolibet perti-
nebant, ordinationi, dispositioni, & provisioni
Nostræ, & Sedis Apostolicæ perpetuo reserva-
mus.

§. 9. Si quid verò circa præsentis Nostræ Con-
stitutionis observantiam, interpretationem, sive
declarationem ullo unquam tempore controversi,
aut dubitari contigerit, id omne præfatæ Congre-
gationis, à Nobis ut supra institutæ, iudicio,
cui propterea omnem desuper facultatem necessa-
riam, & opportunam concedimus, & impartimur,
declarendum, decidendum, definiendum-
que esse, necnon quacunque appellatione, recur-
su, nullitatis dictione remotis, ab omnibus ser-
vandum omnino districte præcipimus, & manda-
mus.

§. 10. Decernentes præsentis Literas, etiam ex
eo, quòd Episcopus, Capitulum & Clerus, aut
Communitas, & homines præfatæ Civitatis No-
stræ Lauretanæ, ac alii quicunque in præmissis
quomodolibet interesse habentes, seu habere præ-
tendentes, eisdem non consenserint, aut vocati,
seu auditi non fuerint, aliaque quavis de causa,
quantumvis legitima, & juridica, de ullo sub-
reptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio,
aut intentionis Nostræ, vel aliq. quocunque de-
fectu notari, impugnari, vel in controversiam re-
vocari, aut ad terminos juris reduci nullatenus
posse; sed semper, & perpetuò validas, firmas,
& efficaces existere, & ab iis, ad quos spectat,
& in futurum spectabit, inviolabiliter observari:
sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & De-
legatos quavis auctoritate fungentes, etiam Cau-
sarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Car-
dinales, etiam de Latere Legatos, sublata, eis,
& eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & in-
terpretandi facultate, & auctoritate, ubique ju-
dicari, & definiri debere, irritum quoque, &
inane, quicquid secus super omnibus, & singulis
præmissis, vel circa ea à quoquam quavis aucto-
ritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus quoad ea, quæ præ-
sentibus adversantur, præmissis Clementis, & Pau-
li Prædecessorum hujusmodi, & aliis quibuscun-
que Constitutionibus, & Ordinationibus Aposto-
licis, etiam in Synodalibus, & Provincialibus, &
universalibus Conciliis editis, innovatis, & confir-
matis, Nostræque de jure quæsito non tollendo,
aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac dicta-
rum Sanctæ Domus, & Ecclesiæ, & Civitatis
Lauretanæ, etiam juramento, confirmatione Apo-
stolica, vel quavis firmitate alia roboratis statu-
tis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, In-
dultis Sanctæ Domui præfatæ, illiusque Protecto-
ri pro tempore esistenti concessis, & quibusvis
aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac
cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis,
aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac ir-
ritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in spe-
cie, necnon etiam cæteris omnibus, & singulis,
quæ in præfatis Literis ipsi Prædecessores volue-
runt minime obstare. Quibus omnibus, & singu-
lis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de
illis, eorumque totis tenoribus specialis, & indi-
vidua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non
autem per clausulas generales idem importantes,
mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut
alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret,
tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum,
nihil penitus omisso, & formâ in illis tradita ob-

servatâ, exprimerentur, & infererentur, præsen-
tibus pro plenè, & sufficienter expressis, & infer-
tis habentes, ad effectum præsentium, illis aliâs in
suo robore permanfuris, harum serie derogamus,
cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
paginam Nostræ moderationis, confirmationis, ex-
emptionis, suppressionis, erectionis, concessionis,
declarationis, reservationis, decreti, & derogatio-
nis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si
quis autem hoc attentare præsumpserit, indigna-
tionem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, &
Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem
Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcente-
simo nonagesimo octavo Nonis Augusti, Pontifica-
tus Nostri Anno Octavo.

J. F. CARD. ALBANUS.

B. Card. Prodatarius.

Visa de Curia C. A. Fabronus.

P. Porta.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi
millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione
sexta, die verò nona Augusti, Pontificatus autem
Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Do-
mini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Pape XII,
Anno octavo; Supradicta Constitutio affixa, & pu-
blicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranen-
sis, Basilicæ Principis Apostolorum, Curie Innocen-
tiane, Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Flo-
ra, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per
me Sebastianum Vassellum ejusdem S. Domini Nostri
Pape Cursorem.

Joseph Staggias Mag. Curl.

Constitutio super suppressione venalitatæ Officii
S. R. E. Camerariatus, & quamplurium ejus
redituum applicatione Cameræ Apostolicæ, &
publicæ Aromatarie pro Pauperibus Urbis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memo-
riam.

AD Romani Pontificis, quem constituit Domi-
nus super familiam suam, ministerium perti-
net, ut post multas, & graves Pastoralis officii
curas, ad temporalium quoque Sanctæ Romanæ
Ecclesiæ Bonorum custodiam vigilet, & Cameræ
Apostolicæ, per quam quotidianis pro conserva-
tione Ecclesiasticæ ditionis oneribus, & communi-
bus etiam Christianæ Reipublicæ necessitatibus sub-
venitur, profectus, & commodis, tamquam fide-
lis dispensator, & prudens, habitâ etiam de pau-
peribus, quorum Ecclesiæ res patrimonium sunt,
provida ratione prospiciat: sicque relectis, abs-
que dignitatis imminutione, quæ in Romanæ Cu-
riæ majoribus etiam Officiis superflua videri pos-
sunt, fiat unius abundantia multorum inopie sup-
plementum.

§. 1. Cum itaque vetus, ac præclarum Nostri,
& S. R. E. Camerariatus Officium, quod per obi-
tum nuper bon. mem. Palutii, dum vixit, Epif-
copi Portuensis S. R. E. Cardinalis de Alteriis nun-
cupati vacavit, & vacat in præfens, Romanorum
Pontificum Prædecessorum Nostrorum concessione

Sanctio
pœnalis.

D. 7. Aug.
1698. P. A.
8-

CXXIII.

Exordium.

Constitu-
tionis cau-
sæ.

Dein-